



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Caput XVI. Regimini applicatus Rationem Gubernandi tenuit, per  
constantiam animi & intuitum Gloriæ Divinæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**

## C A P U T XVI.

Regimini applicatus Rationem  
gubernandi tenuit , per constan-  
tiam animi & intuitum Glo-  
riæ Divinæ.



Quamvis ab omnibus ferè Pater Mar-  
tinus sanctè ac providè cum eximia  
in quemvis charitate , gubernâsse ju-  
dicatus fuerit : non defuerunt tamen  
nonnulli ; qui vel modum mirabantur , vel du-  
ritiem in sensu & decretis vellicarent , dicerent-  
que solennem illam ( sanctis affingi solitam ) ca-  
lumniam : Quemvis Sanctum habere aliquid,  
& verò etiam Patrem Martinum , de duritie  
quadam sui sensûs , quam constantiam sanctam  
appellare debebant, si arcana motiva & fines dis-  
positionum , motionésque Divinas penetrâs-  
sent, quibus DEUS suos servos, tanquam Pri-  
mum Principium motûs in Regimine spiritali  
gubernat.

Sensui fateor humano inepta , malèque  
disposita videntur ea , quæ ad spiritum parien-  
dum vel ad Divinæ Gloriæ incrementum à spiri-  
tu & non à carne adhibentur. malè dicet secum  
agi,

agi, querulus ille, quisquis sibi sublimiorem  
 aëris Regionem destinat, nec assequitur, quia  
 terrenis affectibus gravis, crassitudine terræ de-  
 lectari non omittit. Sequius & ille, qui medio-  
 rum ac finis proportionem ex oculo tantum  
 metitur. pessimè dixerim ille, qui hebes vel  
 omnino cæcus in penetrandis rationibus hujus  
 vel illius motûs, moveri & gubernari debere à  
 DEO & Superioribus animam, perfectionis &  
 cœli studiosam, motibus sensui & appetitui sub-  
 ordinatis desiderat, vultque cursum Provi-  
 dentia Divinæ optimum, philautiæ spiritu pes-  
 simo tractari. fuit, non difiteor, P. Martinus  
 constans & inflexibilis, ad complurium admi-  
 rationem in dispositionibus certis, à quibus non  
 posse dimoveri videbatur, sed ob rationes dis-  
 positionis non temerè manifestatas, id faciebat;  
 ut nimirum creatura, solius DEI nutum seque-  
 retur, & à DEO solo cui se gubernandum tra-  
 didit per se vel Vicarium regeretur.

Non adeo tamen immobilis fuit, ut non  
 conaretur omnibus satis facere ad votum, expen-  
 sis personis ac officijs, quibus homines capaces  
 cupiebat, nè fortè occasione vacantis officij fo-  
 ramen impleretur. Et *primò* quidem ponde-  
 rabat, aptusne illi officio svaviter adimplendo  
 esset? *Secundò* an locus illi faveret? *Tertiò*, an  
 bene conveniret cum superiore, & superior  
 cum

cum illo, qui mittendus esset. *Quartò* an bene combinaretur cum Socijs Collegis. *At* An alia denique Consideratio in contrarium occurreret. Tum exequebatur immobilis ad retractandum. Iter verò faciens ad Collegia, magnâ itineris parte occupabat se inquirendo, quale huic vel illi Patri aut Fratri spirituale solatium adferri oporteret, & quomodo tota Collegij symmetria, quoad officia & personas, bene disponenda esset, ut DEO perfectè placeret. Ità in gloriam DEI & memoriam sanctam Patris Martini quispiam retulit de suo eventu. Sentiebat in se affectum à Juventute ad humaniores litteras usque ad perfectionem perdiscendas & tradendas. neque aliud opinabatur finitis suis studijs, quàm altiora ex Humanioribus quæ tractaverat, resumere, sed jubetur ad inferiorem classem repedare. Arripuit ex DEI gratia cancrum hunc spirituales resolutus; mirabantur alij cibum ejuscemodi offerri, quem postulatum ex modestia opinabantur. sed se adeo ad hunc cancrum deglutiendum resolvit, ut omnes deinceps humanitatis cibi & pocula Rhetorici fluenti penitùs nauseaverit. Tacuit interim pro more suo Pater Martinus, nullique suas destinationes patefecit, donec post tres menses in classe illa infumptos, altiori officio applicaret. Dixit jam aliquis durum fuisse in constantia sua

sua

sua & agendi modo Patrem Martinum, qui charitatem Paternam, crustâ modicâ integebat, gustandum interim nucleum cortice tectum porrigebat. Non reddebat ergo rationem dispositionum suarum, sive quod jam propensionem ex apertura conscientiae, vel aliunde aptitudinem pro bono Societatis & personae, praescivisset; sive quod vellet cœcâ-humanâ, sed à parte DEI penitus oculatâ Providentiâ duci quemvis curæ suæ commissum. Multò minus pruritu intempestivo utebatur, prædicendo, fovendo, ablandiendo dictis anticipatis & promissis infœcundis, quæ mutationem ac pœnitudinem subire coguntur ob circumstantias, & inquietudinem cum insinceritatis suspicione cordibus implantant. Volebat nimirum in substantia & modo, solum DEUM gubernatorem esse illarum animarum, quæ bonâ fide, totas se DEO & Superioribus ex DEO & purè propter DEUM gubernandas tradidissent, nollentque se minimo motu vel afflatu alio moveri, nisi quem DEI esse supponunt. atque ideo pariter & ille successum habuit in his disponendis ac deducendis ad bonum finem, quia secretum gubernationis suæ, DEO soli communicabat, gloriâque ipsius velut regulâ & perpendiculò utens, constanter absque redditis rationibus, exequebatur.

Ejusmodi constantiæ & immutabilitatis,  
 N  
 quam

quam Sancti habent, ( præter consilium secretum & causas non pervias omnibus, quam rationem gubernandi sanctam vocaverim ) causæ variæ reddi possunt. *Prima*; quòd decreta illa non temerè sed ex maturo consilio facta fuerint? quam constantiam ipse Spiritus Sanctus, manu teneri jubet dicens: *Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui, & scientia.* Græcus legit: *In sententia tua certa, constans esto.* & alibi clariùs: *loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij, non dissolvetur. sic & cor confirmatum in cogitatione consilij.* per loramentum, vi catachresis, intellige vinculum seu subscudem quæ duo ligna colligat, nec dissolvi patitur. *Cogitatus sensati in omni tempore, metu non depravabitur.* Causa in promptu, quòd prudens ex consilio prudenter omnia prævideat, examinet, disponat & connectat, contraque omnes difficultates & eventus, sagaciter se præmuniat & obarmet. Non mirum igitur esse loramentum, vinculum & subscudem fortissimam, destinationes suas colligantem. Imitatur enim DEUM, cujus Providentia & provida dispositio certa & inconcussa persistit, attingens à fine usq; ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, quia rerum omnium series & ordines adeo sapienter rationibus inter se connexuit, ut nullâ hominum vel Dæmonum vi everti possint. Et hanc

Eccli. 5.  
12.

Eccli. 22.  
19.

hanc sapientiam inquit Cornelius noster, incon-<sup>in Ecclesia-</sup>  
 cussam & inviolabilem Justis, quasi suis amicis<sup>sticum.</sup>  
 & filijs per gratiam aspirat DEUS: quo fit ut ip-  
 sorum consilia quasi Divina, contra omnes Dæ-  
 monum hominumque vires & fraudes incon-  
 cussa consistant. *Secunda Causa*, per modum  
 paradoxerit, non debere omnia prorsus agi per  
 Consilium & Rationem (præcisè) in majori præ-  
 fertim Superiore, vel in ordinandis officijs servo-  
 rum DEI, quorum gubernatio ad salvationem  
 miris ductibus dirigitur. Si ergo contra ratio-  
 nem videatur aliquid à sanctis ordinatum: non  
 ideo culpandi, sed curvato iudicio suspiciendi.  
 Quod ut solet, Anglicè discutit ex Aristotele S.  
 Doctor Aquinas dicens: *quòd his qui moventur* l. 2. q. 68.  
*per instinctum Divinum, non expedit consiliari, se-* ar: 1. ex  
*cundum rationem humanam, sed quòd sequantur in-* Arist: l. 2.  
*teriore instinctum: quia moventur à meliori prin-* Mor: eu-  
*cipio, quàm sit Ratio humana.* c. 18.  
 Et hoc est donum  
 Divini Consilij, quod non à ratione, sicut consi-  
 lia humana, sed à Dono, à DEO inquam & in-  
 spiratione Divina movetur. Atque hoc servis  
 suis DEUS ampliùs communicat ultra captum  
 & cursum Rationum, quò illi magis DEO sunt  
 uniti. juxta illud: *Jam non dicam vos servos.* in-  
 tellige, spiritu servitutis præditos, in atrio do-  
 mûs servientes, sed *amicos*, Camerales. servus  
 enim nescit, amicis autem & longè magis per  
 excels-

excellentiā, ut vocamus, unitis communicat  
sua secreta DEUS. sicut, humano more loquen-  
do, non potuit Abraham amicum suum celare  
de ruina Sodomorum.

Unde ipse Pater Martinus ad Magistrum  
Novitiorum scribens, qui suos Tyrones liber-  
rimæ ordinationi subjecerat, ut Pater Martinus  
Provincialis disponderet quod vellet, sic exposuit:  
*Circa Dispositiones de Novitijs factas, quod defini-  
tionibus Superiorum sua arbitria subiiciat, rectè fa-  
cit. Stat semper post parietem humanarum opinio-  
num Divina providentia, & inde agenda disponit,  
in quibus, dum manu ductionem Superiorum sequun-  
tur subditi Religiosi, notorium est, eos, nec erroribus  
terreri, nec damnis uri debere.*

Collat. 6.  
de necess:

Habes ergo causam constantiæ in sensu  
& decretis, quam subinde immobiliter superio-  
res exhibent, & Martinus noster exhibuit.  
Quod non solis Superioribus Regularibus & Se-  
cularibus, sed Justis etiam convenit, ut in actio-  
nibus ac propositis suis, inflexionem ac molitiem  
caveant, tenacitatem fervent, sicut idoneè Cas-  
sianus admonet: *Mens inquit, viri Justī, non  
debet esse similis cera, vel alterius cujusque materia  
mollioris, qua semper characteri signantium cedens,  
pro ejus forma atque imagine figuratur, quàmque  
in se tam diu retinet, donec aliorum super impres-  
so signaculo reformetur; atque ita fit ut nunquam in  
illa*



CAPUT XVII. IOE

*illa sua qualitate persistens, ad formam eorum qua imprimuntur, semper convertatur ac transeat; quin potius debet esse velut quoddam adamantinum signatorium, ut inviolabilem mens nostra figuram, sui semper custodiens Characteris, universa qua incurrent, sibi ad qualitatem sui statûs signet, atque transformet: ipsa verò insigniri nullis incurfibus possit.*

Quod si tamen necessitas vel infirmitas alicujus postulabat subinde prudentem convenientiam & mutationem: etiam tali statu à constantia recedebat. Sic ad quendam Superiorem scripsit: *Non miretur me tot mutationes in Ordine Personarum facere; cogunt me ad eam plurimi Patientes, quos Pica parturientium egritudo quotidie aliter, atque aliter afficere videtur.*

CAPUT XVII.

Quæ specialiter in Regimine observaverit, respectu DEI, sui & Proximi.



Post præmissam cujusvis Regimini Decemdialem abstractionem, quâ retractus à negotijs soli DEO vacabat, tria hæc destinabat imprimis, ut Mundities per Domum appareret ubique; ut quibus eas ex officio tractare non competeret,